

## Forma juramenti.

Ego N. Electus Ecclesiae N. ab hac hora in antea fidelis etc. ut in consecratione Electi in Episcopum.

Expleto juramento ab Electo dictus Pontifex in gremio suo librum Evangel. ambabus manibus apertum tenens, inferiore parte libri versa, ab eo praestationem hujusmodi juramenti recipit et Electo adhuc coram eo genuflexo dicente: „Sic me Deus adjuvet et haec s. Dei Evangelia.“

Tum Pontifex respondet: „Deo Gratias.“ Juramento praestito Pontifex surgit cum mitra et Pallium de altari accipit et illud super humeros Electi adhuc ante se genuflexi imponit dicens:

*Ad honorem omnip. Dei et B. M. semper Virginis ac bb. Ap. Petri et Pauli, Domini Nostri N. Papae N. et s. romanae Ecclesiae necnon Ecclesiae N. tibi commissae tradimus tibi Pallium de corpore b. Petri sumptum, in quo est plenitudo pontificalis officii, cum patriarchalis (vel archiep.) nominis appellatione, ut utaris eo intra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab ap. Sede concessis.*

*In Nomine Patris et Filii et Sp. s. sancti. R. Amen.*

Quo dicto Pontifex detecto capite vadit ad cornu Evangelii altaris, et Patriarcha vel Archiep. surgit cum Pallio et ascendens ad altare crucem suam ante se habens, si sit in Ecclesia sua vel alia suae dioecesis vel provinciae detecto capite benedicit populo solemniter dicens: *Sit nomen D. etc.*

Qua benedictione data dimissis in Ecclesia paramentis Omnes ad sua revertuntur.

*Pontif. rom.*

In tradendo Pallio extra Romanam Curiam consuetudo ab immemorabili tempore est, ut Summus Pontifex uni aut duobus Episcopis committat illius traditionem, qui praestituta die con-

venire debent cum ipso Electo, cui Pallium tradendum est, in Ecclesia Metropolitana vel alia magis commoda suae Provinciae, nisi necessitas aliud suadeat, ubi missa celebranda erit et post communionem Celebrantis ponetur in medio altaris Pallium, extensum serico coopertum; ac finita missa, Episcopus sive Episcopi commissarii induti amictu, stola, pluviali et mitra simplici, sedentes ante altare super faldistoriis aut aliis sedibus, Juramentum fidelitatis nomine Sedis apostolicae accipient ab ipso Electo genuflexo et induto omnibus paramentis pontificalibus, praeter chirothecas et mitram, nisi illud prius praestitisse legitime docuerit, juxta formam litterarum apostolicarum felicis recordationis Xysti Papae V.

Quo praestito surgent Episcopi vel Episcopus cum mitris et accipient de altari Pallium, quorum senior illud super humeros Electi ante se genuflexi imponet, dicens: *Ad honorem omnipotentis Dei etc.*, ut in Pontificali habetur.

Quo facto surget Patriarcha vel Archiepiscopus cum Pallio, ascendet ad altare Crucem ante se habens et detecto capite populo solemniter benedictet, dicens: *Sit nomen Domini etc.* Deinde dimissis in Ecclesia paramentis omnes recedent.

*Caer. Ep. l. I. c. XVI. n. 1. 2.*

*Vd.: t. II. p. 604 decr. Pii VI.*

## c) Traditio per Procuratorem.

*Vd.: Pall. (Bened. et traditio — Caerem. Eccles. rom. —); t. II. p. 604 decr. Pii VI.*

## XVIII. Translati Archiep. etc.

*Vd.: Pall. (Ubi et quando etc. ?; Bened. et trad. etc. — Caerem. Eccles. rom. —).*

## XIX. Ubi et quando utendum?

Pallio potest Primas uti in omnibus Ecclesiis, in quibus jurisdictionem

ecclesiasticam accepit. n. 1521 ad 2 die 26. Novb. 1644.

Cantabitur Missa sol. de s. Spir. (in die inchoationis Concilii) per Archiep., qui in ea utitur Pallio.

*Caer. Ep. l. I. c. XXXI. n. 13.*

Pallio utitur Archiepiscopus in singulis Ecclesiis Provinciae suae non autem extra Provinciam et dumtaxat dum *missam sol.* celebrat, praescriptis quibusdam diebus, qui in privilegiis Ecclesiae Metrop. exprimi solent.

*Ibid. c. XVI. n. 3.; l. II. c. XXVI. n. 12., 19.*

Electi ad Patriarch. vel Metrop. Ecclesias non ante Patriarchae et Archiepiscopi appellari possunt, quam Pallium receperint, *sed nec translati* de una Ecclesia ad aliam uti possunt Pallio, quod pro prima Ecclesia acceperant, nec Pallio sui praedecessoris def. nec translati, sed opus est, ut iterum pro nova Ecclesia petatur et habeatur novum Pallium; *nec interim ipsis Electis licet Pontificalia munia exercere.*

*Ibid. l. I. c. XVI. n. 6.*

*Vd.: Pallium (Functiones etc.; Episcop. concessum); Pall. (bened. et tradit. — ex caerem. Eccles. rom.)*

Non potest Patriarcha vel Archiep. uti Pallio extra suum Patriarchatum vel Provinciam et non omni tempore *sed tantum in Ecclesiis et missarum solemnibus*, in festis praecipuis, *non in processionibus neque in missis pro defunctis.*

*Pontif. roman.*

Quidam Archiepiscopus, cujus Dioecesis non habet Suffraganeos, Pontificalia exercens Dominica Pentecostes in Ecclesia alienae Dioecesis, de licentia Ordinarii, Magistro Caeremoniarum suadente usus est Pallio. Hinc quaerit: utrum possit in posterum uti Pallio in

designatis diebus extra suam Dioecsim de licentia tamen Ordinarii loci?

S. R. C. ad Quirinale in Ordinario Coetu coadunata ad relationem proprii Secretarii rescripsit: „Negative.“ n. 4758 die 8. Aug. 1835.

## PALMA.

## 1) Benedictio et Distributio.

*Vd.: Purificatio; Dominica Palmar.*

## 2) Dignitatis.

Praeposito (Cathedralis Anagninae) debetur in distributione Palmarum distincta et honorabilior (palma) quam caeteris de Capitulo. n. 4040 ad 5 die 21. Apr. 1736.

## 3) Quando tenenda?

Dum cantatur Passio et Evang. Canonici resumunt palmas.

*Caer. Ep. l. II. c. XXI. n. 10.*

Ad elevationem solus Episcopus (assistens) tenet palmam.

*Ibid. n. 20.*

*Cf.: Passio (Episcopus etc.).*

## PALMATORIA.

*Vd.: Bugia.*

## PANEM DE COELO etc.

## 1) In expos. SSmi 40 hh.

*Vd.: Instructio Clem. §. XXIV. n. 18.*

## 2) In aliis expos. SSmi.

*Ibidem.*

## 3) In repos. SSmi.

*Vd.: Instructio Clem. §. XXXI. n. 2. etc.*

## PANGUE LINQUA.

*Vd.: Benedictio cum SSmo; Tantum ergo etc.; Quando incipiend. et quis intonat? vd.: Instructio Clement. §. XIX. n. 15. 16. 20.*



Canonici et Beneficiati, dum occasione Benedictionis SS. Sacramenti singulis Dominicis post Complet. cantatur hym.: *Pange lingua etc.*, non tenentur discedere a choro et flexis genibus canere ante Venerabile, sed remanere possunt in eorum stallis choralibus. S. R. C. 26. Aug. 1730.

Postquam Diaconus ass. I. in manibus Episcopi SS. mum reliquerit, genuflectet: tunc Cantores incipiunt: *Pange lingua etc.*

Caer. Ep. I. II. c. XXXIII. n. 20.

### PANNUM NIGRUM.

Vd.: *Tumulum.*

### SS. PAPA.

Vd.: *Sedes Apost.*; *Bened. Pap.*; *Pap. Bened.*; *SS. Pontifex.*

### PAPALIS BENEDICTIO.

Cl.: *Bened. Papalis*; *Regul.* (Bened. Papal.)

#### a) Facultas et modus.

#### *Clemens PP. XIII.*

Inexhaustum indulgentiarum thesaurum a Jesu Chr. D. N. Ecclesiae relictum Christiano populo maxime salutarem et summopere in pretio habendum catholicae Ecclesiae autoritas et gesta Pontificum facillime suadent. . . Inter caetera siquidem spiritual. gratiarum dona potissimum locum habet plen. peccatorum indulgentia et remissio, quae statis anni diebus conceditur, dum Rom. Pont. solemn. caeremonia populo coram ipso congregato benedicit et non raro ipsius SS. Pontificis nomine effundendae ap. benedictionis super principes Viros absentes delegata fuit facultas; sed inde invaluit praeter modum usus etiam verbi Dei praeconibus indulgendi, ut similiter cum plenaria indulgentia ap. benedictionem non singulari alicui per-

sonae vel familiae sed universo ad Ecclesiam confluenti populo impertiri valeant.

Ut autem spiritual. gratiarum dona sancte atque incorrupte administrantur, de consilio VV. FFr. Cardinalium *omnia et singula particularia indulta et privilegia effundendi supra populum ap. benedictionem* per Rom. Pontifices et per Nos etiam ad certum tempus seu ad vitam, non tamen illa per praedecessores praedictos aliquibus regularib. Ordinibus attributa, quae modo *infrascripto salva esse volumus*, resp. concessa et elargita, etiamsi eadem particulares personae ex quavis causa illa impetrarint et in possessione indultorum ac privileg. hujusmodi reperiantur, *harum serie revocamus ac de medio tollimus.*

Porro ad submovendos quosvis abusus in hac re tenore praesentium statuimus, quod deinceps VV. FFr. Nostris Patriarchis, Primatibus, Archiep. necnon dilectis filiis Praelatis inferioribus mitrae et Pontif. usum territoriumque separatim cum vera qualitate nullius Dioecesis habentibus et activa in clerum et populum jurisdictione gaudentibus nunc et pro tempore existentibus: Patriarchis videlicet Primatibus, Archiep. et Episcopis duabus anni solemnitatibus, nimirum Pasch. Resurrectionis alioque die festo sol. eorum arbitrio designando, Praelatis vero praemissis qualitatibus praeditis et in propriis territoriis degentibus semel in anno in uno ex diebus, quibus eorum singulis usus Pontif. permittitur, populo in Ecclesia congregato SS. Pontificis auctoritate et nomine facultas sol. benedicendi cum elargitione plen. indulgentiae juxta ritum et formulam inferius traditam concedi posset et ipsorum unicuique, quamdiu illi suis resp. Ecclesiis praefuerint gratiamque et communionem cum ap. Sede haberint, per literas ap. gratis concedatur.

Quoniam vero easdem facultates aliquibus regul. Ordinibus concessas praeservare intendimus, harum serie declaramus: *illas juxta concessionem ap. auctoritate factas salvas et illaesas esse debere*; districte tamen dilectis filiis eorundem Ordinum Superioribus et Professoribus praecipimus, quod in illius exercitio in omnibus ritum et formam a fel. rec. Bened. XIV. die 19. Mart. 1748 praescriptum\*) servare et insuper in dictis duabus solemnitatibus, quatenus Episcopi in illis facultate hujusmodi utantur, ab effundenda benedictione ap. penitus abstinere resp. debeant. Ac itidem ad submovendam quamcunque dubii causam declaramus etiam, per benedictionem ap. auctoritate sive per ipsos Patriarchas, Primates, Archiep. et Episcopos sive per Regulares quoslibet impendendam nullam prorsus a censuris et poenis Eccles. scienter vel ignoranter incursis absolutionem concedi neque ab illis absolutio praetextu benedictionis hujusmodi susceptae praetendi possit.

Non obstantibus quibuscunque.

Ritus vero et formula a Patriarchis, Primatibus, Archiep. et Episcopis pro impertienda bened. una cum plen. Indulg. post Missarum solemn. triplici signo Crucis emisso et in episcopali throno cum mitra caeterisque s. paramentis indutis, circumstantibus Ministris, adhibendus, quod congrue de Praelatis inferioribus intelligatur, talis esse debet:

Expleta in utraque solemnitate Missae sol. celebratione inprimis alta voce per Ministrum superpelliceo indutum legantur literae apost., quibus indulg. plenaria conceditur unacum potestate benedictionem ap. super populum effundendi ac de delegatione adstantibus constet et concessio ex latino ser-

mone in vulgarem ad populi intelligentiam translata recitetur. Postea Episcopus surgens juxta ritum in Caer. Ep.\*) expressum dicet:

*Precibus et meritis B. M. semper V., B. Michaelis Archangeli, B. Joannis B. et SS. Apost. Petri et Pauli et Omnium Sanctorum misereatur vestri omnipotens Deus et dimissis omnibus peccatis vestris perducatur Vos Jesus Christus ad vitam aeternam.*

*Indulgentiam, absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium verae et fructuosae poenitentiae, cor semper poenitens et emendationem vitae, perseverantiam in bonis operibus tribuat vobis omnipot. et misericors Dominus.*

R. Amen.

*Et Benedictio Dei omnipotent. Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat semper.*

R. Amen.

Demum post impertitam bened. publicatur latino et vernaculo idiomate concessio plenariae indulg. sequenti formula:

*Attentis facultatibus a SS. in Christo Patre Domino Nostro N., divina providentia Papa . . .\*\*), in enunciatis ap. literis expressis, datis Reverendissimo D. D. N. Dei et Apostolicae Sedis gratia hujus sanctae Ecclesiae N. Antistiti, Eadem Dominatio sua Reverendissima Summi Pontificis nomine dat et concedit omnibus hic praesentibus Indulg. plenariam in forma Ecclesiae consuetam. Rogate igitur Deum pro felici statu SS. D. N. Papae, Dominationis suae Reverendissimae et Sanctae Matris Ecclesiae.*

Datum Romae 3. Sept. 1762.

(Bull. r. Continatio t. II. p. 292. Ed. Rom. 1837.)

\*) Caer. Ep. lib. II. c. 39.

\*\*) Hic exprimitur, quotus est Papa ejusdem nominis.

\*) Vd.: *Regular.* (bened. pap.)



## b) Quibus impertienda?

Vd.: *Indulg.* (Infirmor. habit.)*Pius PP. VI.*

## V. Fr. Patriarchae Lisbonensi.

Redemptoris et Domini Nostri Jesu Christi vices licet immeriti gerentes in terris coelestium munerum thesauros, quorum dispensationem humilitati Nostrae commisit Deus, fideli prudentique liberalitate erogare studemus, sicut ad augendam fovendamque fidelium pietatem profuturum in Domino arbitramur.

Cum itaque alias Nos per Nostras in simili forma Brevis expeditas literas fraternitati tuae facultatem solemniter benedicendi populo cum plenaria omnium peccatorum indulgentia in duabus cujusque anni solemnitatibus sub certis modo et forma tunc expressis concesserimus et indulerimus, ac alias, prout in eisdem Nostris literis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur, plurimi vero, sicut nuper accepimus, hujus Ecclesiae thesauri participes esse minime valeant, tum quia patriarchalis Ecclesia, in qua solemniter benedictio hujusmodi impertitur, non omnes Christifideles ad illam hac de causa confluentes intra suos fines amplecti potest, tum etiam quia moniales clausurae legibus adstrictae, infirmi et detenti in carceribus ad eam accedere nequeunt iisque omnibus pro eximio, quo polles salutis animarum zelo, consultum esse summopere desideres,

Nos igitur pia vota hujusmodi plurimum in Domino collaudantes eidem fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut universo populo, tuo edicto ac sonitu campanarum ejusdem patriarchalis Ecclesiae die praecedenti, tempus ac horam benedictio-

nis hujusmodi impertiendae significare cures et facias ac pari quoque sonitu dictarum campanarum, dum eadem benedictio impertitur, omnes de ea certiores reddas. Nos enim omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis ad dictam Ecclesiam patriarchalem se conferentibus, etiamsi ipsi ejus ambitum propter loci angustiam ingressi minime fuerint, sed foras circa eandem Ecclesiam praesentes tunc reperiantur, atque insuper monialibus, infirmis et in carceribus existentibus atque campanarum sonum hujusmodi audientibus, si tunc temporis flexis genibus, quatenus ab infirmitatibus ad id impediti minime sint, pias ad Deum preces pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac Sanctae Mariae Ecclesiae exaltatione effuderint, eandem plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, perinde ac si intus Ecclesiam patriarchalem praedictam eidem solemniter benedictioni praesentes reperiantur, misericorditer in Domino concedimus.

In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 7. Martii 1780.

(Bull. r. Continuatio t. VI. p. 188)

## c) Pulsat. Campanar.

Vd.: *Pap. bened.* (quibus etc.)

## PARAMENTA.

## 1) Alienatio veterum.

*Paramenta Sacra non possunt amplius converti in usus profanos*, quia semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum, textu expresso in cap.: *Semel* 51. de Reg. Juris in 6. et concordat. cap.: *Quae semel* 4. caus. 19. q. 3. Nec ad alios usus, quam quibus dedicata sunt, trans-

ferri debent; cap.: *Vestimenta* 42. et cap.: *Ad nuptiarum* 43. de consecrat. dist. 1. Paramenta sacra, cum fuerint vetustate consumpta, incendio danda sunt et cineres in Baptisterio vel alio loco abdito et honesto condi, ne forte transeuntium pedibus conterantur, cap.: *Altaris palla* 37. de consecrat. dist. 1. Paramenta pretiosa nequeunt alienari sine justa causa et debita solemnitate; cap.: *Final. de rebus Ecclesiast. non alienand.* *Clemen.* 1. eod. tit. Extravagant. Ambitiosae eod. tit. inter communes. Immo non possunt hypothecari, oppignorari et alienari, ut patet ex variis Juribus adductis sub verb.: *Alienatio* art. 2. n. 1. ad 9.

*Paramenta Sacra, quando urgente aliqua justa causa alienantur, oppignorantur vel hypothecantur, tunc non debent alienari, oppignorari vel hypothecari, nisi ad servitium et ministerium alterius Ecclesiae et Altaris et ad usus Sacros et pios*; cap.: *Ligna Ecclesiae* 36. de consecr. dist. 1. Paramenta Sacra, si absque necessitate vendantur, hypothecentur vel oppignorantur, etiam ad usus sacros et pios et ad servitium alterius Ecclesiae, quamvis vendantur solum ratione materiae, qua constant et non quatenus Sacra sunt, adhuc committitur Sacrilegium propter irreverentiam, quae fit rebus Sacris, dum sine necessitate venales fiunt: non tamen committitur Simonia; quia non venduntur, quatenus Sacra sunt, pro pretio temporali: *Covarruv.* lib. 3. variar. cap. 16. n. 8. *Molina* de justitia tract. 2. disp. 240. vers. Res item Sacra, *Navarr.* in Manual. cap. 17. n. 205.; *Barbosa* lib. 3. Juris Eccles. univers. cap. 2. n. 47, et alii passim. Paramenta et Vasa Sacra, licet ex justis causis vendi possint etiam Laicis et ad usus profanos, tamen prius confecta et conflata esse debent; cap.: *Aurum* 69. caus. 12. qu. 2. cum ibi notatis, *Sanchez* tom. 2. consil. moral.

lib. 2. cap. 2. dub. 15. Quarto dico, *Barbosa* loc. cit. n. 48.; *Lezana* cit. tom. 4. verb.: *Vasa Sacra* n. 6. et alii passim.

## 2) Altaris.

Vd.: *Altare.*

## 3) Benedictio.

Vd.: *Benedictio Param. De Facultate simpl. Sacerd.*, vd.: *Olea* s. (Consecr.); *Param.* (Qualitas.); *Param.* (bened. quando amitt.)

Vasa et paramenta praeter Episcopum ab aliis quoque Sacerdotibus ab eodem Sedis ap. facultate deputatis benedici possunt.

S. R. C. 24. Aug. 1609.

*Pius PP. VI.*

Decet Romanum pontificem ea omnia, quae ad animarum salutem ac proximorum aedificationem constituta esse noscuntur, sua auctoritate confovere, ac quo incepta hujusmodi in dies augeantur, gratis spiritualibus ditare, prout mature rerum ac temporum circumstantiis perpensis in Domino salubriter expedire arbitratur.

Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Theodimirus Ignatius Diaz de la Vega presbyter saecularis Congregationis Oratorii sancti Philippi Neri in civitate Hispalensi, quod ipse in animarum salutem omnes cogitationes suas intendens domum cum sacello atque opportunis officinis et suppellectili optime instructam magnis sumptibus aedificavit, ut hic tum ecclesiastici tum saeculares, qui exercitiis spiritualibus ad animarum suarum utilitatem vacare exoptassent, exciperentur: Quod quidem inceptum annuentibus immo approbantibus ipsis Archiepiscopis Hispalensibus adeo excrevit, ut quottannis quadringentorum numerum excedit animarum suarum saluti ferventer vacantium concursus: quapropter nuper